



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Specvlvm Monachorvm D. Bernardi, S. R. E. Cardinalis, Et  
Abbatis Cassinensis**

**Arnulfus <de Boeriis>  
Bernardus <Ayglerius>**

**Dilingæ, 1616**

VI. De vago & curioso discursu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48585](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48585)



conuersatio. Et quoniam superbe spreuerunt quod tenebant & temerè præsumperunt quod non volebant, digno Deus eorum exitu patefecit ignauiam ; quia impudenter deseruerunt, quod imprudenter arripuerunt, & turpiter ad id redierunt, quod leuiter deseruerunt.

---

CAPITVLVM VI.  
 IN QVO AGIT  
 DE VAGO, ET CV-  
 RIOSO DISCVRSV,  
 IPSVM REDA-  
 guens.



TRANSITV namque, qui est de Monasterio ad sæculum damnabili ; & alio transitu, qui



qui est de Monasterio ad Monasterium quandoque utili, quandoque inutili parte superiori præmissis, & eorum particulis explicatis, videntum est de alio transitu, qui hic subiicitur, quia stabilitati contradictoriè aduersatur, expressè contra votum emissum committitur, quando est discursus vagus & curiosus.

Intelligo enim vagum discursum, quem nulla necessitas, nulla obediètia, nulla loci certitudo metitur: Curiosum autem, qui vel ut delectabilia, vel oculis placentia videat, aut suæ curæ voluptuosè deseruiat, aut fabulis intendat, abhorret Monasterium, & hac cura illectus discurret per mundum.

*Vagus discursus quis? Curiosus quid?*

Vagus igitur & curiosus discursus hic ostendetur mortalis, & detestatione dignus. Nam P. & Magister noster, Cœnobitarum Regulam instituendo, & quatuor Monachorū genera distinguendo, de duobus gene-



Cap. 1.

generibus malis breuiter se expediuit, & de ipsis sic ait: *Tertium uero Monachorum deterrimum genus, est Sarabaitarum, qui nulla Regula approbati, uel experientia Magistri, sicut aurum fornacis; Sed in plumbi natura molliti, adhuc operibus seruantes saeculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur. Qui bini aut terni, aut certe singuli sine pastore, non dominicis, sed suis inclusi ouilibus, pro lege eis est desideriorum voluptas; cum quicquid putauerint, uel elegerint, hoc dicunt sanctum; & quod noluerint, hoc putant non licere. Attende Cœnobita, ut non tuis sed dominicis ouilibus includaris, non tua desideria, sed pastoris imperia; & monita regularia prosequaris: non ad loca singularia, sed ad sanctorum cœtum habitacula sint tua, ne plumbum, non aurum efficiaris; ne Sarabaita, non Monachus sis.*

Sed certè quantumcunq̄ue istud  
genus



genus Monachorum sit deterri-  
mum, subdit B. P. N. BENEDICTVS  
aliud deterius, turpissimum, & ne-  
fandum dicens: *Quartum verò ge-  
nus est, Monachorum, quod nominatur  
Gyrouagum, qui tota vita sua per di-  
uersas prouincias, ternis, aut quater-  
nis diebus per diuersorum cellas hospi-  
tantur, semper vagi & nunquam sta-  
biles, & proprijs voluptatibus, & gula  
illecebris seruentes, & per omnia de-  
teriores Sarabaitis. De quorum om-  
nium horum miserrima conuersatione  
melius est silere, quam loqui. Idem  
verò B. P. BENEDICTVS periculum  
animarum attendens, quod in tali  
discursu incurritur, & considerans  
materiam per quam discursus hu-  
iusmodi remouetur, dicit: *Monas-  
terium autem si potest fieri, ita debet, Cap. 66a  
construi ut omnia necessaria, id est,  
aqua, molendinum, hortus, pistrinum  
& artes diuersæ, intra Monasterium,  
exerceantur: ut non sit necessitas Mo-  
nachus**



*nachis vagandi foras: quia omnino non expedit animabus eorum.*

Nota quod nunquam est securum Religioso, maximè iuueni, & in Monasterio non probato, & per suos seniores primitus non approbato, vagando discurrere, materiàmquè discurrendi præstare. Accedit adhuc consilium sapientis Senec. dicentis: Subducendus est populo tener animus, & parum tenax recti. Est igitur è mundo, qui parùm de rectitudine tenet, subducendus quomodo tenelli, & iuuenis animus inuoluendus: vagatio enim est maledicta, & in maledictionem contra Cain per Dominum datur in Gen. dicentem *Eris vagus, & profugus super terram.* Recepit in se dominicam damnationis sententiam, quando de se ipso dixit: *Ero vagus, & profugus in terra; omnis igitur qui inuenerit me, occidet me.* Displicet namquè Domino vagatio, & per  
con-

Gene.  
4. 12o



consequens placet quietudo, vt dicitur in Ieremia: *Dilexit mouere pedes suos, & non quieuit & Domino non placuit*. Quando pastor præstat causam curiosæ vagationi, æquiparatur pessimæ seductioni & perditioni; sicut dicitur in Ieremia: *Grex perditus factus est populus meus; pastores eorum seduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus*. Est autem quandoque Religiosorum indigentia, vagationis occasio vel causa, vt dicitur in Iob: *Quis preparat coruo escam suam, quando pulli eius ad Deum clamant, vagantes, ed quod non habeant cibos?* Vagantibus præterea Monachis adhæret lepra quæ appellatur volatilis, cui debetur pœna infernalis; sicut legitur in Leuit: *Quod si ultra apparuerit in his locis, quæ prius immacolata erant, lepra volatilis & vaga; debet igne comburi*.

*Ieremi*  
14. 10.

*Ieremi*  
50. 6.

*Iob. 38.*  
41.

*Leuit*  
13. 57.

Et nota, quod vagus, & curiosus discursus non est Monasticus, sed **D** mere-  
*Curiosus discursus qualis actus*



- meretricius actus, & ideo propter instabilitatem, immunditiam meretricis incurrit & vilitatem, sicut legitur in Prouer. de meretrice: Nouissima illius amara quasi absynthium, & acuta quasi gladius biceps. Pedes eius descendunt in mortem, & ad inferos gressus illius penetrant, per semitam vitam non ambulant, vagi sunt gressus eius, & inuestigabiles. Item, Et ecce occurrit illi mulier ornata meretricio, preparata ad capiendas animas; garrula, & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidians. Signum autem est à Deo abiectio in Monacho voluntas vagationis, sicut legitur in Osee 9 27. Osea: Abijciet eos Deus meus, quia non audierunt eum, & erunt vagi in nationibus.

Ut namq; cognoscere possis quæ bona sunt in ordinata Religione, & quæ mala in vagatione & discursione,

Monasterium bene ordinatum

ne,



ne, possum dicere tibi: quod Mo- compa-  
 nasterium benè ordinatum compa- ratur.  
 ratur horto deliciarum, propter fru-  
 ctuum delectabilitatem: compa-  
 ratur Ierusalem ciuitati Sanctorum,  
 propter bonorum ciuium habita-  
 tionem: & comparatur firmamen-  
 to cœlesti, propter stellarum in eo  
 infixionem: comparatur etiam a-  
 quæ bonum saporem habenti, pro-  
 pter piscium spiritualium conserva-  
 tionem.

Religio est hortus non solum mu- Io  
 ris materialibus clausus, sed etiam Horto  
 Regularibus institutionibus cōclu- delicia-  
 sus, & Deo germanitate per Obe- rum.  
 diētiam proximus, vt in Cant. dici- Cant. 4:  
 tur: *Hortus conclusus soror mea, hor-* 12.  
*tus conclusus, fons signatus.* Appel-  
 lat, vt iam dixi, Religionem foro-  
 rem, propter Obedientiæ imitatio-  
 nem; sed appellat signatum fon-  
 tem, propter silentij conseruationē.  
 Ad hunc quidem hortum venit

D a Chri.



Christus frequenter, & vt desideratus recipitur ibi libenter, & vt veniat inuocatur, & vt fructus eius comedat inuitatur, sicut in Cant.

*Cant. 5. 2.* legitur: *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum.* In hoc horto psallitur sapienter, & Christus cum sanctis voces psallentium audit delectabiliter, vt in Cant. legitur: *Quae habitas in hortis, amici auscultant: fac me audire vocem tuam.* Et in eisdem

*Cant. 2. 14.* Cant. *Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decorata.* Tantum autem hortum istum diligit Christus, quod ibi sacramentaliter pro nostra salute patitur, ibi corpus eius spiritualiter sepelitur, & hortulanus ipsius esse creditur, sicut de his omnibus legitur in Ioan.

*Ioan. 19. 41.* *Erat autem in loco, ubi crucifixus est hortus: & sequitur: & in horto monumentum nouum; & post pauca: ibi ergo posuerunt Iesum, Et de Magdalena*  
lena



Iena in Ioann. *Illā existimans quia* Ioan. 20.  
*hortulanus esset.* Alios autem hortos 15.  
 hunc deserentes incolunt, vnde  
 folijs & fructibus, in quibus dele-  
 ctati fuerant, priuati sunt, carentes  
 aquæ gratiæ, digni erubescencia &  
 confusione; sicut legitur in Isaia:  
*Confundentur enim ab idolis, quibus* Isa. 16296  
*sacrificauerunt; & erubescetis super*  
*hortis, quos elegeratis, cum fueritis*  
*velut quercus defluentibus folijs, &*  
*velut hortus absq; aqua.*

Item Religio Ierusalem sanctæ 11.  
 ciuitati comparatur, quia ibi domus Ierusalē  
 Dei spiritualiter ædificatur, sicut in sanctæ  
 Paralipom. legitur: *Ipse præcepit* ciuitati.  
*mibi ut ædificarem ei domum in Ieru-* 2. Paral.  
*salem, quæ est in Iudæa.* Hæc Ierusa- 36. 23.  
 lem terrestris, est propter illam glo-  
 riosam quæ est cœlestis; quietis si-  
 quidem & non vagis constructa  
 est, Et propterea requiei, scilicet  
 Sabbati habet iter, sicut legitur in  
 Actibus: *Tunc reuersi sunt Ierosoly-* Act. 1. 122



mam, à monte qui vocatur Oliueti,  
 qui est iuxta Ierusalem, Sabbati ha-  
 bens iter. Sed ab hac Ierusalem, va-  
 gus in Iericho, id est, in mundum  
 descendit; in latrones, id est, in  
 Dæmones incidit, virtutibusq; sin-  
 gulis eundem spoliantes, peccatis  
 eum mortalibus vulnerantes: &  
 eum non solum semiuiuum, sed et-  
 iam mortuum relinquentes; sicut  
 legitur in Luca: *Homo quidam de-*  
*scendebat ab Ierusalem in Iericho, &*  
*incidit in latrones, qui etiam despo-*  
*lauerunt eum: & plagis impositis ab-*  
*ierunt semiuiuo relicto. Hanc Ieru-*  
*salem, dum semel manet per ve-*  
*ram stabilitatem, & vitam meretur,*  
 & habet. Sed quando egreditur,  
 mortis sententia in eo fertur; Vn-  
 de ei per Salomonem in lib. Regū  
 præcipitur: *Ædifica tibi domum in*  
*Ierusalem, & habita ibi: & non e-*  
*gredieris inde huc atque illuc. Qua-*  
*cumq; autem die egressus fueris, &*  
 tran-

Luc. 10.  
 30.

3. Reg.  
 3. 3.



*transieris Torrentem Cedron, scito te interficiendum. Et sequitur: Quare ergo non custodisti iusiurandum Domini? &c. Et subiungitur post pauca: Iussit itaque rex Banaia filio Ioiada: qui egressus, percussit eum. & mortuus est.*

Vides quam bonum, quam securum, quam iucundum est hanc Ierusalem habitare? vides etiam quam periculosum, & morte dignum est, hanc vagando exire? Corruptur enim anima simplicis Claustralis concupiscibilia mundi curiosè considerantis. Et aduertendum, quod non licet Monasteriũ exeunti, vt legitur in Gen. Egressa est autem Dina filia Lia, vt mulieres videret regionis illius: Qam cum vidisset Sichẽ filius Hemor Heuei, princeps terra illius, adamauit eam: & rapuit, & dormiuit cum illa, vi opprimẽs virginẽ. Non igitur egrediaris vagẽ, non egrediaris curiosè Ierusalem Sanctam, cœlesti patriæ proximam,

n.430

Gen. 34



confortium Sanctorum, vitam  
 Beatorum. Ne cum Semei mo-  
 riaris, nec cum Dina corruparis,  
 ne in maculis pedicæ Diaboli ca-  
 piaris; de quibus legitur in Iob. *Im-*  
*misit in rete pedes suos, & in maculis*  
*Sap. 14. eius ambulat.* Et in lib. Sap. *Crea-*  
*tura DEi in odium facta sunt, & in*  
*11. tentationem animabus hominum, &*  
*in mulpulam pedibus insipientium.*

III.  
 Firma-  
 mento  
 cæli.

Comparatur etiam Religio fir-  
 mamento cæli, in quo sunt vt stel-  
 læ fulgentes Religiosi, inter quos  
 reperiuntur miserabiles & vagi, qui  
 sidera errantia nuncupantur. Et  
 tales procellis tenebrarum in per-  
 petuum reseruantur. De quibus  
 in Canonica Iudæ dicitur: *Sidera*  
*errantia quibus procella tenebrarum*  
*12. seruata est in æternum, &c.*

IV.  
 Aquæ  
 munde.

Postremò, propter piscium con-  
 seruationem aquæ munde compa-  
 ro Religionem. Ibi enim effusio  
 sermonum Dei abundat, quæ boni  
 Monachi



Monachi conscientiam mundam, sicut legitur in Ioann. *Vos mundi estis, propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Et in Ezech. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Sine aqua piscis nescit vivere, nec Monachus sine clauastro. Habent enim sitim spiritualem, & ideo putrefactionem incurrunt mortalem, vt legitur in Isaia: *Compu- trauerunt pisces sine aqua, & morientur in siti.* Nam quæ fuerat in Religione aqua sapida, vitæque conseruatiua, & munda, exeunti ab ea conuertitur, & fit sanguinolenta, & mortis causa. Psalm. *Conuertit aquas eorum in sanguinem: & occidit pisces eorum.*

Ioann. 156

3.

Ezecha

36.25a

Isa. 500

26

psalmus

104. 29d

o Veruntamen si contingat Obedientia causa Monachum ad seculum descendere, & per ipsum necessarium transitum facere, non debet Monasticam conversionem deserere,



82 SPECVLI D. BERNARDI

ferere, sed interius ac exterius vitam Monasticam conseruare, ac se verum esse Monachum intuentibus monstrare. Et hoc vt non discurrat, nec multum loquatur, & quando poterit, sedendo Monachus inueniatur. Nam vt dicit Hieronym. Monachum se esse non loquendo, & discurrendo, sed sedendo, & tacendo quisquis nouerit. Oportet enim necessariò quandoque Monachū exire, & imperium praelati complere: sed tunc ad eius imperiū vadat, & tabernaculum figat suum, sicut in lib. Num. filii Israel fecisse noscuntur. Et quando possunt ad claustrum redire, & vitam quietam agere, semper hoc in desiderio habeant, & quietem animo non relinquunt, mentemq; habeat firmam, sursum, & in patientia in iunctum discursum: vt vox in auribus eorū sonet quæ Arsenio facta est cū à palatio discederet, vt Monachus

Num. 9.  
18.



chus fieret dicens: ARSENI FUGĒ,  
TACE, QUIESCE. hæ sunt radi-  
ces non peccandi. Est enim com-  
positæ mentis signum, esse in stabi-  
litate, & morari secum, sicut dicit  
Seneca: Primum argumentum  
mentis compositæ existimo, pos-  
se consistere & secum morari. I-  
tem; Circumcidenda est conuer-  
satio qualis est magnæ parti homi-  
num qui domos, & theatra, & fo-  
ra pererrantes, alienis se negotijs  
offerunt. Et post pauca: si ali-  
quem exeuntem de domo inter-  
rogaueris quo tendis? quid cogi-  
tas? Respondebit tibi: Nescio, sed  
aliquos videbo, aliquid agam.  
Sine proposito vagantur, incon-  
sultus illis vanusque cursus est:  
qualis formicis per arbusta re-  
pentibus, quæ in summum ca-  
cumen tendentes, deinde in i-  
muminanes aguntur. His plerique  
similem vitam habent, & agunt,



84 SPECVLI D. BERNARDI  
quorum meritò quis inquietam di-  
xerit.

---

CAPITVLVM VII.

IN QVO OSTEN-  
DITVR QVÆ SIT  
VERA MORVM  
CONVERGIO.



AM, inquam, supe-  
rius dicto de stabilita-  
te quæ Monachum  
interius, & exterius  
ad veram conuersio-  
nem morum ordinat, & disponit;  
& prætaçtis illis ex quibus impedi-  
tus stabilitatem miser relinquit, &  
à sublimibus ad inferiora descen-  
dit: nunc de vera morum conuer-  
sione subiçitur rubrica, quæ stabi-  
litate mentis, & corporis iuuatur,  
nutritur, regitur, & causatur.

Est